

Heinrich Rahn


**Facultatis Iuridicae in Academia Rostochiensi Vice-Decanus Henricus Rahne/  
I.U.D. & Prof. ... Ad Disputationem Inauguralem, quam de Iuramentis Dn. Paulus  
Barver, Slesvicensis Holsatus Die VI. Martii habebit, Magnificum Dn. Rectorem,  
Dnn. Professores, omnes omnium ordinum Cives Academicos, Literatos &  
literatorum cultores officiose atq[ue] amice invitat**

Rostochii: Kilius, 1651

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766617300>

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.

216.7

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

42.18



FACULTATIS JURIDICÆ

*in*

Academia Rostochiensis

VICE-DECANUS  
HENRICUS RASSEL/

J. U. D. & Prof.

Suo & Dnn, Collegarum nomine

*ad*

Disputationem Inauguralem,  
quam de Juramentis

DN. PAULUS BARVER,

SLESVICENSIS HOLSATUS

*die VI. Martij habebit,*


Magnificum Dn. RECTOREM,

Dnn. Professores, omnes omnium ordi-

num Cives Academicos, Literatos & literato-

rum cultores officiose atq; amice


invitat.



ROSTOCHII,

*Typis NICOLAI KILII, Acad Typogr.*

*ANNO M. DC. LI.*



L. B. S.



Xpetit civis noster, PAULUS BAR-  
VER, SLESVICENSIS HOLSATUS virtu-  
tis hæcenus cultæ mercedem. Concupiscit  
laboris exantlati præmium. Ambit sum-  
mum in utroq; jure, cui tam diu operam  
navavit, gradum. Vult scil. creati DO-  
CTOR, unaq; cum titulo illo ac dignitate consequi non  
temerariam, inconsideratam, atq; vitiorum plerumq; lau-  
datricem famam popularem, quæ species saltem est gloriæ,  
ac collecta ex inanissimis splendoris insignibus; sed in-  
corruptam vocem benè judicantium de excellenti virtute  
& consentientem bonorum ac eruditorum laudem. Ut  
autem eâ, quâ par est, viâ ad honoris culmen ascendat, sti-  
tit se nostro Collegio excutiendum & explorandum, an di-  
gnus esset tam claro nomine. Et talem se nobis stitit in hac  
perichitatione, qualem decet, qui veræ laudis studio trahi-  
tur, atq; bonum apud homines nomen quærit. Nunc ut  
omnium ferat punctum, & testimonium à consensu totius  
civitatis consequatur, in publicum prodit, disputaturus de  
JURAMENTIS. Hoc argumentum quò difficilus  
est, & sanctius, eò minoris æstimatur. Nullum vinculum  
ad astringendam fidem jurejurando arctius esse voluerunt  
majores. Id indicant, ait Cic. Leges XII. tab. indicant sa-  
cra, indicant fœdera, quibus etiam cum honestate devinci-  
tur fides, indicant notiones, animadversionesq; Censo-  
rum, qui nulla de re diligentius, quam de jurejurando judi-  
cabant. Quod si nostra ætas Censores admitteret, si Chri-  
stianus populus ferre posset morum magistros, sanè nihil  
illi agerent aliud, quam ut plecterent perfidos ac perjuros,  
quo-

quorum hodie tanta est copia, quanta muscarum mediâ æ-  
 state. Jusjurandum rem esse maxime religiosam sentiunt &  
 clamant omnes, at paucissimis religio est illud non violare.  
 Fidem sancti colimus ore, factis negligimus impij. Fidem,  
 inprimis juratam, servandam esse dicimus, interim suble-  
 stâ fide omnia metimur. Promissis standum, si salvum cu-  
 pimus societatem humanam, quilibet agnoscit, ac testa-  
 tur; verum quis est, qui promissis non reclamet. Fora nil  
 ferè nisi fallacias, fraudes, & perjuriam crepant. Ut pueros  
 talis, ita, cum Dionysio tyranno, viros juramentis decipi-  
 mus. Quid? Juramenta sunt opercula, seu emplastra nostræ  
 nequitix, & condimenta doli. Malus est perversò hoc se-  
 culo, qui non jurat, peierat, promittit, fallit, quando utili-  
 tas exigit. Qui nescit pretio addictam habere fidem & ju-  
 ramentum, nescit lucrari. Qui pietate ductus quæstum post-  
 ponit juramento, audit cum Callidoro Plautino:

*Tu, qui pius es istoc genere natus, nummum non habes.*

Qui fallere, qui mentiri, qui ludere jurejurando non didi-  
 cit, ablegatur ad Labracem lenonem itidem Plautinum, ut  
 discat lenoniâ fide uti. Hic namq; Piscatori Gripo, si redi-  
 geret ipsi in potestatem vidulum naufragio amissum, se am-  
 plam mercedem daturum, conceptis verbis juravit, sed  
 postquam recepit, quòd volebat, religioni pecuniam ante-  
 posuit, & quod debebat, præstare noluit. Ita verò inter se  
 colloquuntur & disceptant:

— Griptus *Heus tu jam habeas vidulum.*

Labrax: *Habeo. Gr. propera. La. quid properabo? Gr. reddere  
 argentum mihi;*

*La. Neg. edopot tibi do, neg. quicquam debeo. Gr. qua hæc factio est?  
 Nonne debes? Lab. Non hercle verò. Gr. non tu juratus mihi es?*

*La. Juratus sum; & nunc jurabo, si quid voluptati est mihi.*

*Jusjurandum rei servande, non perdende, conditum est.*

Nonne hæc ad palatum, imò ad mentem nostrorum homi-





aum, qui perjurium putant communis sermonis genus esse, non criminis. Novimus summi Legislatoris præceptum: **Jovæ** Dei tui nomen inaniter ne adhibeto. Quo prohibentur omnia illa scelera, quibus sacrosanctum Dei ter Optim. ter Max. nomen contaminatur, contemnitur, aut vanè usurpatur. Id quod fit juramenti falsis, indebitis, temerariis. Et tamen passim introductum videmus, ut homines supremi, medioximi, infimi nihil affirmant, negent, faciant, nisi juramento interposito. sine reverentia, sine necessitate, sæpissimè etiam sine veritate. Sunt, qui omnia imprecationibus, & diris execrationibus stabiliunt, Dei sanctissimum nomen quotidie millies in re quoq; levissima & inani temere in testimonium advocant, blasphemant, peierant. Nonne manifestum est, hoc contra divinas leges fieri, quarum transgressores in tertiam & quartam generationem usq; puniuntur? Nihilominus tamen sine delicti suspicione talia à multis committuntur. Neq; in tam aperta sanctionis divinæ prævaricatione ulla alia potest esse excusatio, quam illa vulgaris è foro: Sum miles, nobilis, aulicus, studiosus, mercator: non ita accurate possum conformare vitam ad Decalogi præcepta: non astrictus semper sum regulis illis sempiternis, & severis. Observent eas levis & imperita multitudo, cujus est obedire, & concionatores, qui tam multa è suggesto de ipsis verba faciunt. Ergone ordo militū, nobilium, aulicorum, studiosorum, ac mercatorum privilegium habent perfringendi repagula Juris, etiam divini; omnia jurejurando, ad voluptatem & voluntatem, vel affirmandi, vel negandi? Nihil aut vendere, aut emere, aut negotij gerere, nisi per caput, per animam, per fidem, per sacramenta, per Deum, & quod horrendum dictu, per Salvatoris vulnera & passionem, per mille, mille, cetera nostis, quia sæpissimè auribus, utinam nunquam  
ore,

ore, usurpatis, verba sua confirmare: atq; has detestatio-  
nis tartaræ formulas, auctarij & epiphonematis loco, ad-  
jungere. At mi homo, noli errare, noli, si salutem tuam  
amas, alios fraudando te ipsum circumvenire. Deus sibi  
semper æqualis omnibus, sine ullo respectu, jura præscrip-  
sit. Neminem à lege sua exemit, qui magnum æquè ac par-  
vum judicat. Et quis unquam audivit, quod, vel vivæ vocis  
oraculo, vel bullatis literis concessum sit alicui privilegi-  
um ad legem Dei infringendam? Pervolve, si lubet, omnia  
rescripta, diplomata, brevia, bullas, indulta: excute, sodes,  
omnium Rerumpub. collegiorum, ordinum, tribuumq;  
archiva, reconditoria, scrinia, loculamenta, nullas conspi-  
cies tabulas supremi Principis (cujus solius est contra le-  
ges suas privilegia concedere) vel manu notatas, vel signo  
firmatas, in quibus ulli, quacunq; tandem dignitate præful-  
geat, permittatur, temere, sine necessitate, & multo minus  
sine veritate Deum in testem vocandi, jurandi, blasphe-  
mandi, & nomine divino abutendi. Verum enimverò fur-  
dis narratur fabula. Siquidem ita hodie comparatum est,  
ut, si alter alterum moneat, ne perfidum sacramentum di-  
cat, peieret, ne conscientiam lædat, hoc ferat responsum:

— *Tunc meo Pontifex perjurio es?*

*Meus arbitratus est, lingua ut juret mea.*

Quin magna pars hominum similis est illorum, quorum te-  
ste *Sidon. Apoll.* si nares afflaverit uspiam rubiginosi aura,  
marfupii, confestim videbis illic & oculos Argi, & manus  
Briarei, & Sphingum ungues, & perjuria Laomedontis, &  
Ulyssis argutias, & Sinonis fallacias, & fidem Polymnesto-  
ris, & pietatem Pygmalionis adhiberi. Sic modò consuli-  
mus loculis, & religionem negligimus: plus curamus peco-  
ra nostra, quam animam; majorem habemus rationem  
commodi alicujus fluxi, incerti, & in speciem saltim boni,


quàm veræ & sempiternæ felicitatis. Terrenâ aucupāmur,  
ut perdamus cælestia. O deplorandam ac detestandam  
permutationem! Quam non evitant, qui suam perfidiam  
fucant hoc disterio: Linguâ juravi, mens injurata mansit.  
Nam quacunq; arte verborum quis juret, verba sunt *can. 9.*  
*caus. 22. q. 5.* Deus tamen qui conscientia testis est, ita hoc  
accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit. Dupliciter autem  
reus fit: quia & nomen Dei in vanum assumit, & proximum  
dolo capit. Debeamus sanè vel ex Ethnico discere: Nul-  
lam malitiam magis alienam à conversatione hominum es-  
se, quam perfidiam: adversus quam nulla custodia dari po-  
test. Quippe quod unicum habemus confugium, nempe  
jusjurandum, hoc ipso maximè abutitur vir perfidus infi-  
ciando malum, quod commisit, seu asserendo bonum, quo  
abstinuit. Quid multis? Recte nostræ ætati fraudulentæ  
accommodatur, quod literarum monumentis mandavit  
Salvianus: Legem, ait, divinam legimus, & legalia scripta  
semper violamus. Deum nosse nos dicimus, & jussa ejus ac  
præcepta calcamus. Et cum eum spernamus, quem coli à  
nobis credimus atq; jactamus, id ipsum, quod cultus DEI  
videtur, injuria est. Quis, quæso, hominum reperitur, qui  
non ad hoc semper Christi nomen in ore habeat, ut peieret?  
Et sic Christi nomen jam non videtur sacramentum esse,  
sed sermo. Nam in tantum apud plurimos nomen hoc par-  
vi penditur, ut nunquam minus cogitent quippiam facere,  
quàm cum jurant, per Christum se esse facturos. Deniq;  
multi res non otiosas tantummodo & aniles, sed etiam sce-  
lera se jurant per Christi nomen, esse facturos. Eoq; res ce-  
cidit, ut cum per Christum juraverint, putent se scelera,  
quoq; religiosè esse patratos. Tantum de hodierno jura-  
mentoribus abusu dixisse sufficiat: usum explicabit noster  
Candidatus Dn. PAULUS BARVER. Idq; ad normam  
antiquæ

antiquæ virtutis, & fidei, atq; ad disciplinam Juris & æquitas, in quibus penitus cognoscendis hactenus otium tempusq; contrivit. Anno enim clō Idc XLIV. excolendi ingenij causa venit ad hanc Academiam, heicq; commoratus est totum triennium. Usus est hospitio piè dudum defuncti **QUISTORPII**, quem virtus post fata superstes & immortalis fama ita commendant, ut nostro encomio non indigeat. Victor vitiorum & barbariæ, publice propugnavit Jus victoriæ sub præsidio Magnif. hoc tempore Rectoris Viri admodum Reverendi & Excellentissimi Dn **CASPARIS MAURITII**, SS. Theol. Doctoris, Professoris, Ecclesiastæ, & Collegæ nostri colendi. Hinc ad Batavos abiit, & ut ulteriorem juris civilis scientiam hauriret, Viro & Antecessori Lycæi Leidenfis celeberrimo, Dn. **JACOBO MEESTERTIO** sese erudiendum tradidit. Pòst se recepit in Galliam, & ibi quoq; familiaritatem cum egregijs viris contraxit. Andegavi per annum substitit, & in perdiscendo Jure Canonico Magistrum adhibuit nobilissimum, **JCTŪ ANTONIUM TONDUTI**. Visit terris alio sub sole calentibus, perlustratis Rebus extraneis, perspectis moribus diversorum populorum, cumulatâ eruditione, aucto prudentiæ thesauro, in patriam, & inde ex mandato Patris, **DETTLEVI BARVER**, Viri & Senatoris apud Slesvicenses in Holsatia gravissimi & integerrimi, ad nos redijt. Redijt autem eo animo ac proposito, ut, ubi prima jurisprudentiæ rudimenta jecit, ibi etiam, quid illis superstruxisset, omnium oculis pateret, atq; publicum scientiæ suæ testimonium consequeretur. Eam ergo ob causam ad diem VI. instantis Martij, de **JURAMENTIS**, ut & ante diximus, **DISPUTABIT**. Pugnaturus est, ut coronetur. Certabit in arena scolastica, ut laurea Doctorali potiatur. Novit enim

enim ante pugnam neminem coronari, & certantibus de-  
mum gloriam obvenire. Te igitur Magnifice Dne. Re-  
ctor, & Vos, admodum Reverendi, Consultissimi, Expe-  
rientissimi, Excellentissimi, Clarissimi Dnn. Professores,  
Doctores, Licentiati, verbi divini Præcones, Magistri,  
Sudiofi & genere, & virtute, & eruditione nobilissimi,  
omnes deniq; Literati & Literatorum fautores, obnixè  
invitamus, rogamusq; ut inauguralem hunc actum vestrà  
præsentiâ ornare, ac Dn. Candidatum solito favore suble-  
vare, benevolentia animare, & , quod præcipuum est, ad  
examen artis exigere non dedignemini; Quod si feceri-  
tis, cum ipsum, tum nostrum ordinem magno beneficio &  
honore mañtabitis; Dabimusq; operam, ut nos memores  
& gratos experiamini. P. P. RostochI sub sigillo Fa-  
cultatis Juridicæ, die XXIII; Februarij Anno  
salutis M, DC, LI.







quando quis obscuro loco natus, fraudu-  
 tatione, nobili alicui familiae se infere-  
 re, sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-  
 dem familiae, nobilibus pecuniam, vel aliud  
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.  
 Anno 1615. vagabundus quidam homo co-  
 quelem Phocam, Palatinum Constanti-  
 cupans, & ex familia illustri Graecorum  
 jactans, ad jumento intercessionum, quas  
 impetraverat, in plurimorum prin-  
 cipalibus, & civitatibus ingentem pecuniam  
 emendicavit; cui postea, ob delicti  
 poenam dictaverunt Scabini Lipsien-  
 ses, anno 1629. Mens. Martio foeminae cui-  
 dam, ex nobili familia se natam & bonis  
 mutato nomine a Nobilibus pecuni-  
 am poenam temporalis relegationis in-  
 curavit. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*  
*sequenti num. 41. adducit exem-*  
*plum assumpto nomine Advocati cujus-*  
*dam publicè jactaverat, quem postea*  
*Senatus virgis coedi, & exilio*  
*condemnavit & huc exempla relata à Valer.*

XVI.

us est, quando quis, personam suam pla-  
 nentem suam mutat, & se pro alio suppo-  
 nit, ut apud Historicos aliosque scripto-  
 rum inter quae notissimum est illud Plau-  
 tum in forma Amphitruonis, adversus  
 nocte quadam, velut è bello rever-  
 sus concubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4

